

currimus, quoties Scriptura contrarium apertè testatur; sed quoties de Scripturæ mente dubitatur. Similiter concedit Rationi non competere partes judicarias fidei, si de Scripturæ mente jam constet. Sed cum dubitatur, an rem eo pacto Scriptura definierit nec ne? Rationis iudicium admitti vult. Ex quibus Schlichtingii verbis, ut confido, satis apparet, quod etiam Socinus & sectatores ejus, maximi Scripturæ corruptores & profanatores, & Rationis humanæ admiratores & cultores, in speciem saltem, religiosius & reverentius de utraque loquantur; quam locis adductis hic Autor noster. Non enim, ut vidimus, Rationem Verbo Dei æquant, nedum præferunt, sed disertè postponunt.

### Exorbitatio Quinta.

#### *Deum posse, si velit, nos fallere.*

I.

Nec illud veritatem aut reverentiam Deo debitam spirat, quod ait p. 24. Deum posse, si velit, fallere creaturas etiam perfectissimas. Cum enim agnoscat, voluntatem fallendi esse imperfectam & vitiosam; hæc Deo non magis tribui potest, quam voluntas mentiendi aut se ipsum abnegandi. Quod autem Deus non potest velle, neque potest facere: quod non potest intendere, neque potest exequi. Utque nulla fallendi voluntas sic nulla quoque, seu remota seu propinqua, fallendi potentia, citra peccatum blasphemix, ipsi potest tribui: adeoque nec satis verè, nec satis piè dici potest, Deum posse si velit fallere creaturas etiam perfectissimas.

II. Habuit tamen Wozogius in hoc suo errore alios errandi duces. Aristoteles suo tempore similiter exorbitavit, quando, libro quarto Topicorum capite quinto, textu trigesimo secundo, interprete Julio Pacio, ita scribit: Videre etiam oportet, an aliquid vituperandum vel fugiendum ad facultatem, vel ad id quod potest, retulerit. Quale est, si dixerit, Sophistam esse eum, qui potest ex sapientia, quâ videtur esse præditus, lucrari: aut calumniatorem eum, qui potest calumniari & ex amicis inimicos facere: aut furem eum, qui potest aliena clam furari. Nullus enim eorum,

O 2

quos